spinâ inter duos sulcos eminente, ac nodosâ, striisque densioribus circa divisionem nodosis, et propè sulculos crassius spina.

152. Cornua Ammonis articulosa solida striata striis divisis in spinam sulcatam abeuntibus: spinâ sulcatâ profundiore, sulco minus profundo, et planiore. sulco quasi omnimodè plano et latiore. Eadem spinâ sulcatâ.

153. In quolibet Cornuum Ammonis articulosorum solidorum striatorum genere, sive postea sint Lapidea, sive Marchasitacea, dantur quaedam Species, quae gaudent striis divulsis, sive â se invicem hinc inde per orbes separatis, ut ex enarratione Specierum clarius patebit. Cornua Ammonis articulosa solida striata morbosè affecta.

154. Cornua Ammonis articulosa solida morbosè affecta Ochracea, albicantia, et marchasitacea lævia ac striata variè compressa, orbibus in principio convolutionum â reliquis separatis, striis hinc inde in sua convolutione divulsis, et praeter modum ad se invicem compressis, quandoque etiam tam parva occurrunt, ut meritò nana apellari possint, quemadmodum etiam ipsi Spondylolithæ, è quibus componuntur.

155. Matrix Cornu Ammonis striati striis integris maximi, hinc inde quamplurimis Gryphitis imbuta, &c. Alia imperfecta lapidi calcario impressa. Alia itidem Silici Entlibuchiana. Matrices Eorundem.

Sectio XLII.

De Cornubus Ammonis articulosis concameratis et eorumque partibus diversis, internâ facie, cum Excrescentiis Agariciformibus

§. 156.